

IV. Dignus itaque martyr Vincentius a Domino coronari, in quo elegit et per sapientiam et per patientiam gloriari. Dignus solemnī celebritate, dignus felicitate æterna, pro qua adipiscenda leve quidquid minacissimus iudex terruit, quidquid carnifex cruentus infixit; transactum est quippe quod pertulit, non transiturum est quod accepit. Certe enim sic vexata sunt membra, sic viscera cruciata, tam crebro et tam crudeliter repetita tormenta, sic, sic quemadmodum facta sunt ista; et si fierent multo graviora, « Non sunt condignæ passionēs hujus temporis » ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis (a). »

SERMO XLVIII.

In Natali martyris Vincentii II.

Eruiitur ex eodem Cod. Cass. XII, fol. 318, cum eodem nomine. Ponatur post præcedentem cum numero in Natali Martyris Vincentii VI.

SYNOPSIS.

I. Vincentii coram Daciano fortitudo. II. Vincentius Daciani, vivens et moriturus, victor.

I. MAGNUM spectaculum, Fratres mei¹. Certabant duo, sæviens et patiens, servus Christi Vincentius, et filius diaboli Dacianus. Perfidus in Martyris corpore sæviebat, sed nec sanctus Vincentius metuebat, quia Christum pro

(a) Rom. VIII, 18.

¹ Vide Sermon. CCLXXIV, n. 1; CCLXXV, n. 1, et CCLXXVI, n. 3.

se pugnantem videbat. Vicit dum iudicabatur, quia ab eo quem confitebatur, non relinquebatur. Interrogatus non dubitavit respondere, quod quærebat, et auxit unde quæsit¹ potius irascere. Inflammavit odium juventutis², ut gloria cresceret confitentis. Quid enim timeret Vincentius leonem in fremitu irascentem et rugientem, quia jam « leoni de tribu Juda (a) » hærebat, fortitudinem sibi virium ministranti. Jam itaque sumptis armis Christi invictus, sicut leo, fidebat Vincentius et clamabat: Mecum decertet pugna, si prævalet confidentia; videbit me plus posse dum torqueor, quam ipse dum torquet. Sanctus Vincentius in exilium mittitur, et iter ad paradysum meditatur. Morte afficitur, et de vita meliore lætatur; equuleo³ extenditur, et fit clarior, dum a persecutore punitur. Existit⁴ ante hominem iudicem; ante hominem stabat, sed in corde Deum iudicem rogabat dicens: O antique hostis, humani generis inimice, quid in mea passione non facias, qui et Deum meum tentare voluisti, sed vincere non prævaluisti; prostrata enim sicut bestia jacuisti. Non timeo, inquit, supplicia, quæcumque iratus impegeris⁵; hoc magis mihi fortitudinis est, quod te fingis velle misereri. Insurge, Diabole; percurrant omnes pœnæ fidem et fortitudinem ex anima christiana.

II. In furore et in ira sua, impius Dacianus ait: Vincere me non potest iste; dum vivet, tormentis acerbissimis applicetur. O insuperabilis virtus! o invicta animi fortitudo! sanctus Vincentius torquetur, tunditur, flagellatur, exuritur, extentis membris crescit ad pœnam, cujus spiritus jam migraverat ad coronam. At ille qui quotidie victum se erubescere audiri, ait: Prævaluisti

(a) Apoc. v, 5.

¹ Codex quæsitur. — ² Ita Codex pro sævientis, ut mihi videtur. —

³ Codex male exsulio. — ⁴ Forte stetuit, vel exiit. — ⁵ Cod. impingeris.

Martyris corpori; ecce jam territus ipse fatearis te in omnibus esse convictum, qui nec cadaver superare potuisti defunctum. Ecce perversa sævitia tua, sicut ipse dixisti, dum acrius persequeris, gloriosiore facis. Quid et de corpore patientis convictus dicturus es? Audite, Fratres, quid dicat: Mergatur, inquit pelago; et tanquam diceretur ei: Quare? et ille: Ne erubescamus, inquit, sine causa pugnare. O insania furore cæca! hoc¹ impius, perfidus et insatiatus Dacianus non intellexit; qui potest ab inferis animam revocare, non potest a mari Martyrem suum liberare? Victoriā² ejus, inquit, vel maria celabunt. Quomodo celabunt eum, quem cum honore suscipiunt. Audi Prophetam clamantem et convincentem: « Ipsius » est mare, et ipse fecit illud, et aridam terram manus » ejus fundaverunt (a). » Sequere, sævissime Diabole; fac Martyrem nostrum et in alio elemento esse gloriosum, et te in omnibus esse confusum ac superatum. Ecce mare obaudivit, et tu surdus es; ecce ventus cessat, et tu sufflas; ecce undæ cum tremore surripiunt, quem nautæ tuo præcepto projiciunt; ecce fluctus cum summo honore, velociori Dei gubernante manu, tuos remiges ad portum præveniunt, et Martyris corpus ad honorificentiam sepulturæ jam reddunt. Ecce in mari tanta tranquillitas, et te, Nefandissime, magna possidet iniquitas. Quid agis, humana jam rabies, ubi unda revocat mortuum? quid agis, scelerata feritas sæva, ubi aquæ revocant sepulturam? Perdidit misera crudelitas, quod tenebat; lugeat nunc Daciani sæva perfidia, quæ dominicam non potuit recordari potentiam³. Magnum se gaudebat reperisse consilium, cui nec aqua voluit præbere consensum; male commendavit miser desideria sua; vel mare eum docere

(a) Psal. xciv, 5.

¹ Codex male o. — ² Id. victoria. — ³ Id. dominica... potentia.

debut, qui contra Creatorem suum celare non potuit corpora¹. O spectaculum suavissimum, videre certantem Martyrem contra imperium cogentis², in nulla poena fide succumbentem, quia et vivus inimicum prostravit, et mortuus maria natavit³. O beata passionis memorabilis gloria, in qua dignatus est Christus talia exercere mirabilia! O gloriosa beati Vincentii constantia! in morte victoria magnam illi⁴ exhibuit coronam. Sine dubio, Fratres, ipsum fuisse credimus cum beato Vincentio in fluctibus, ne absorberetur, qui fuerat cum Petro in mari, ne mergeretur. Jamvero quod restat, Charissimi, ipsum beatum Vincentium pariter deprecemur, ut nobis patronus apud Deum esse dignetur, et ejus meritis Ecclesia Christi quotidie sublimetur, cui est honor et gloria in sæcula sæculorum. Amen.

SERMO XLIX.

De Conversione sancti Pauli I.

Sermo iste ex duobus manuscriptis Cassinensibus extractus, nempe cXLVI, fol. 227, et cIX, fol. 38, sancto Augustino certe tribuendus est, sed ut videtur juniori. Legitur in codicibus: Sermo unde supra; supra habetur Sermo sancti Augustini. Ponatur inter Editos post Sermonem cCLXXIX, cum numero de Conversione sancti Pauli III.

¹ Codex male corpore. — ² Id. cogentem. — ³ Vide Serm. cCLXXVI, n. 4. — ⁴ Codex magnalibus.

SYNOPSIS.

I. Ananias ad Saulum velut ovis ad lupum exhibetur. II. Jubetur adire Saulum, et recusare videtur. III. Saulus ab Anania baptizatur, nomine mutato in Paulum.

I. VIDETIS, Fratres charissimi, omnipotentis Dei¹ divinum mysterium, et in utrisque personis nomen attendite. Apud hebraicam videlicet linguam Ananias ovis dicitur, et Saulus lupus describitur². O divina præscientia et justi iudicis³ moderata sententia, ut ovis, quæ a lupo desiderabatur manducari, subito meruisset ab ipsa curari! En, Saule, tenebris excæcatus es; jam ovi quid facturum es, Lupe, quando sedes in tenebris sine luce? Ecce ante te est ovis, quam quærebas⁴; ubi est quod fremebas? quare nunc tremis? Ovem quam tu sperabas morsibus laniare, ipsa te venit baptizare. Tu dum, Improbe, hujus ovis dissipare pellem⁵ cogitabas, ad ipsam venisti curvus accipere legem.

II. Et Ananias ad Deum⁶ suum: « Domine, inquit, audivi » de hoc viro quanta mala sanctis tuis in Jerusalem fecerit, et hic ideo venit ut alliget omnes, qui invocant nomen tuum (a). » Quasi diceret: Bona quidem servo tu suggeris, sed ut tu mihi Dominus, et ego tibi servus; aliud, dico, si vis, erit. Audivi in quodam Psalmo David dicentem: « Benefac, Domine, bonis et rectis corde (b). » Ego benefaciam bonis; (tu) tamen, dic, dic, quid dis-

(a) Act. ix, 13. — (b) Psal. cxxiv, 4.

¹ Vox Dei desideratur in Cod. cxlvi. — ² Vide Serm. cclxxxix, n. 2. — ³ Cod. cxlvi iudicii. — ⁴ Desiderantur in Cod. cxlvi hæc verba: *Ubi est quod fremebas?* — ⁵ Cod. cxlvi male *pellis*. — ⁶ Id. *Dominum*. — ⁷ Cod. cix, si *jusseris*.

ponis? Domine, quare sic mihi proponis? Ille lupus, ego ovis; ut quid consentitis vobis, et non convenit nobis? « Tu » habes claves David; tu aperis, tu claudis (a), » et nunquam includis; ignoro tamen modo, quare lupum cum ove includas¹? Omnia potes ut Dominus, et nihil tibi impossibile est². « Tu vitæ et mortis habes potestatem (b). » Tibi omnes apertæ sunt portæ. « Probasti cor meum et » visitasti nocte (c). » Unde causæ istæ mihi videntur exortæ? Ego sudo³ fugiens mortem, et tu dicis: Include mihi lupum in corte. Vides civitatem totam, tanquam navem, mortis pendere sub vento⁴, et tu vis in mare turbidum pejus mittere ventum? Non oportet ut condemnes, sed tu nosti qualiter ab austro valido frangatur antenna. Nam cum vis in peccatis neminem mori, da sufferentiam timori. Quare a lupo ovis incipit mori? Tu autem, Domine, licentiam dedisti, qui certari tecum⁵ Moysen permisisti. Moyses timuit Hebræum tribulatorem; ego non habeo timere Saulum, Christianorum persecutorem? O Domine meus, o Domine! Tu causas prohibere visus es homicidii, quare modo ovem a lupo dicis occidi⁶? Et Dominus: Inquietum equum, quid times cæcum? Consurge, ambula mecum, quia ego sum tecum. Vade, visita eum in domo. Honorare te volo et tecum ambulare dispono. Nam perfidiam versutiæ⁷ ejus velis, nolis, ego mihi domo, licet iste lupus consueverat de meis gregibus crapulari⁸. Sed ego illi monstrabo qualiter a vulpibus incipiat vapulare.

III. Itaque, ex præcepto Domini ingreditur ad Saulum,

(a) Apoc. i, 18. — (b) Sap. xvi, 13. — (c) Psal. xvi, 3.

¹ Cod. cxlvi male *cum ovis includis*. — ² Hic in Cod. cix abundat verbum *divitiæ*. — ³ Cod. cxlvi male *modo*. — ⁴ Codices male, ut videtur, *ventum*; Cod. cxlvi perperam *turbido prius*, et post *condemnat*. — ⁵ Codex cxlvi male *cum*, pro *tecum*. — ⁶ Deest ultimum membrum in Cod. cxlvi. — ⁷ Codices male *veritatis*. — ⁸ Cod. cxlvi male *copulare*.

ovis ad lupum. Et licet jam ille lupus tenebris fuerat oppilatus¹, tamen tanta erat in ove vis terroris, ut cum lupo ex nomine inciperet loqui pastoris. « Saule, inquit, » Frater, Dominus misit me ad te; » et ille; Quis? « Qui » visus est tibi. » Ubi? « In via qua veniebas(a). » Sed noli timere, quia ideo veni ut possis videre. O Ananias, magnum gaudium exhibes nobis, qui cum cultum gestas ovis cœpisti subito lupum clamare, a facie cujus cogitabas secreta montium peragrare. Ibi ostendit Dominus servum suum bene servantem sibi se multum amare, quando lupum fratrem cœpit clamare². Stat interim ovis ante lupum, et sudat; stat lupus sub ove, et nutat. Mirantur se stare contra se. Stat lupus, et malitiam fallit; stat ovis supra lupum, et clamat. Ibi didicit ovis³ trahere lupum ad baptismi flumen, et lupus⁴, contra naturam, ab ove poscere lumen. Et tunc remanserunt⁵ lupi opera vacua, quando lupum ovis tinxit in aqua. Facta est ibi contra se jam mutatio inaudita naturæ, ut Christum cognosceret mundus Dominum esse totius creaturæ, dum lupus ab ove cervicibus, legis accepit jugum, et ovis a lupo salvationis⁶ percepit lucrum. Dedit interim Ananias Saulo, ovis lupo, quod exigebat baptismi culmen, et non solum jam perditum suscepit⁷ lumen, sed immutationis invenit nomen. Saulus in aquam⁸ descendit, Paulus ex fonte ascendit. Lupus in aquas cum peccatorum gravedine naufragavit, et agnus sicut oleum super aquas natavit; et « Cum⁹ imposuisset illi manus; con-

(a) Act. ix, 17.

¹ Cod. cxlvi male *opitulatus*, et post *hujus*, pro *vis*. — ² Desideratur hic tractus in Cod. cxlvi ab his verbis: *Cœpisti subito*. Phrasid sequens abest a Cod. cix. — ³ Codex cxlvi perperam *ubi dicit ovem*. — ⁴ Id. male *lupum*. — ⁵ Duo Codices *remanserit*. — ⁶ Cod. cix male *salvationis*. — ⁷ Cod. cxlvi, *accepit*. — ⁸ Id. male *in aqua*. Cod. cix male *in quam*; corrigitur *in aquam*. — ⁹ Desunt hæc in Cod. cxlvi ab his verbis: *Agnus sicut*.

» festim ceciderunt ab oculis ejus velut squamæ(a). » Ananias manus accommodavit, sed Dominus illuminavit. Quid autem squamæ in allegoria esse videntur, nisi aut vestium sordimentum(*sic*), aut piscium indumentum? Manus impositio detulit cæcitatem, et cum baptizaretur, accepto cibo, confortatus est; et post remissionem peccatorum, manducavit panem Angelorum, et prædicator factus est regni cœlorum.

SERMO L.

De Conversione sancti Pauli II.

Trium Codicum hic concordat auctoritas. Nam legitur in Cod. Cass. cxvii, fol. 140; in Cod. Cass. cix, fol. 41; et apud Bibliothecam Laurentianam. Plut. xiv, Cod. i, fol. 100. Locus ejus erit in Editis post præcedentem cum numero de Conversione sancti Pauli iv.

SYNOPSIS.

I. Gratia Christi potentia. II. Conversionis Sauli historia. III. Conclusio.

I. SANCTA Scriptura¹ semper docet nos et admonet²; et ubi quis Christianus sensum suum accommodare voluerit, et integro affectu suscipere, etsi multiplici vin-

(a) Act. ix, 18.

¹ Cod. Cass. cix male *sanctæ Scripture*. — ² Ibid. cxvii male *immonet*; et post *ut pro* et Cod. Laurent. habet etiam *ut*; et prius *monet*.

culo¹ peccatorum fuerit colligatus, poterit salvari, eo quod talis est Christi² gratia, ut si lupum invenerit, ovem faciat et in profundum peccatorum demersum eripiat³. Unde ergo quantum Dominus⁴ dederit precibus præcedentium patrum et vestræ charitatis, dicimus vobis de gratia Christi, quomodo oves fecit de lupis, et quomodo in profundum peccatorum demersos eripuit.

II. Legimus in Actibus Apostolorum, ubi Saulus qui et Paulus accessit ad Principes sacerdotum⁵, et postulabat ab eis Epistolas in Damascum, ut omnes Christianos vinctos catenis perduceret in Jerusalem. Sed quid factum sit in istum virum, qui adversus Christum contendit, audiamus. Factum est, inquit, eunte Saulo⁶ ad comprehendendum Christianos, « Subito illum lumen circumfulsit de cælo⁷, et vox facta est ad eum desuper⁸ dicens : » Saule, Saule, quid me persequeris? Qui ait : Quis es, Domine? Et vox iterum ad eum : Ego sum Jesus Nazarenus quem tu persequeris. Qui dixit : Domine, quid me vis facere⁹? et vox ad eum iterum dicens¹⁰ : Surge et ingredere civitatem, et illic require virum nomine Ananiam ; et ipse orabit pro te, ut videas et salvus fias¹¹. Viri autem qui comitabantur cum eo apprehendentes manum ejus, perduxerunt in civitatem. Dixit autem in visu Dominus Ananiæ¹² : Surge, et vade in vicum qui

¹ Cod. Cass. cxvii pessime in similitudine vincula. Cod. Laur. suscepit, et si in multitudine vi vincula peccatorum. — ² Nomen Christi deest in Cod. Cass. cxvii. — ³ Cod. Cass. cxvii, et Cod. Laur. male fucit... eripit. et post inde. — ⁴ Duo iidem Codices Deus; post Cod. Cass. cxvii male præsentium... ut... charitati... deest vobis. Cod. cix oven. — ⁵ In Cod. Cass. cxvii deest sacerdotum. Cod. Laur. postulavit. — ⁶ Id. minus bene Paulo; idem apud Cod. Laur. — ⁷ Id. et Cod. Laur. illi lumen refulsit. — ⁸ Deest in Cod. Cass. cxvii desuper. Cod. Laur. habet : Vox facta est de cælo dicens. — ⁹ Id. et Cod. Laur. quid me vis ut faciam. — ¹⁰ Ibid. deest iterum dicens. — ¹¹ Id. et Cod. Laur. salvus sis. — ¹² Id. Dominus Ananiæ in visum. Cod. Laur. in visu.

» vocatur rectus, et illic invenies Saulum nomine Tharsensem (a). » O inenarrabilem potentiam Domini¹! Invenit perversum², et rectum effecit; invenit persecutorem sanctorum, et fecit eum pietatis confessorem; invenit vas lutulentum, et exhibuit eum vas purissimum; invenit ministrum iniquissimorum³ Sacerdotum Judæorum, et fecit eum comparem sanctorum suorum; invenit eum superbum, et humilem fecit⁴; invenit eum blasphemum, et Apostolum constituit. Olim⁵ iniquissimorum Sacerdotum⁶ epistolas portabat ad destructionem multorum; nunc autem per universum orbem terrarum, ejus salutaris Epistolæ leguntur, et universæ Ecclesiæ Christo quotidie adduntur. O sancte Paule, vere conversus es, quia digne es glorificatus. Vere conversus es, quia cum Apostolis es connumeratus. Vere conversus es, quia et doctor Ecclesiarum effectus es. Vere conversus es qui et meruisti audire: Frater Paule, bone consiliator. Vere conversus es, qui et meruisti cum undecim Apostolis connumerari. Vere conversus es, qui et meruisti thronum duodecimum possidere, Christo dicente⁷: « Amen, Amen dico vobis: in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis et vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël (b). »

(a) Act. ix, 4-11. — (b) Matth. xix, 28.

¹ Cod. Cass. cxvii, et Cod. Laur. minus bene: O inenarrabilis potentia Domini. — ² Id. minus bene sævum... efficit. Cod. Laur. efficit conversum. — ³ Sic Cod. Cass. cxvii, et Cod. Laur. Cod. Cass. cix minus bene iniquissimum. — ⁴ Cod. Laur. perfecit. — ⁵ Cod. Cass. cxvii, et Cod. Laur. perperam: O qui aliquando. — ⁶ Cod. Laur. sacerdotum eorum, male. — ⁷ Hic Cod. Cass. cxvii, et Cod. Laur. continuo errant. Sic enim: O sanctus Paulus vere conversus est, et digne est, etc... meruit, et sic semper in tertia persona. Deest etiam in Cod. Cass. cxvii, sed non in Cod. Laur. membrum istud integrum: Doctor Ecclesiarum effectus es; vere conversus es, qui et meruisti. Erravit amanuensis ob repetitionem verbi meruisti. Cod. Cass. cxvii, Domino dicente, Cod. Laur. Domino Christo dicente.

III. Hujus ergo sancti Pauli laudem, nec immerito, non valet humana lingua condigne laudare, quem Christus¹ Dominus noster « Vas electionis » nuncupavit, et vere² electissimum et purissimum vas, ubi Christus Dominus noster habitare dignatus est³. Idcirco, dilectissimi Fratres⁴, ita nos exhibeamus ut sanctorum vestigia imitantes, a Christo Domino mereamur habitationem invenire, quia apud Dominum omnia possibile sunt, ipso adjuvante qui vivit et regnat in sæcula sæculorum⁵. Amen.

SERMO LI.

De Conversione sancti Pauli III.

Hic duo iterum habentur Codices, nempe Cod. Cass. cxvii, fol. 140 verso, et Cod. cix, fol. 41 verso, et fol. 44. Præfigitur utrisque nomen sancti Doctoris. Locus ejus in Editis post præcedentem cum numero de Conversione sancti Pauli v.

¹ Desunt in Cod. Cass. cxvii, verba ergo... nec immerito... Christus. Deest in Cod. Laur. vox Pauli. Post autem: Non valet humana lingua narrare quam, etc. — ² Cod. Cass. cix minus bene verum. Duo alii Codices melius vere. Id. Cod. cix dilectissimum. — ³ Cod. Laur. Christi vas; et post inhabitare. — ⁴ In Cod. Cass. cix desideratur vox dilectissimi. — ⁵ Variant hic tres Codices: Cod. Cass. cxvii habet: A Christo omnium auctore cum ipsis mereamur participatione perfrui, quia apud Dominum omnia possibile sunt in Christo Jesu Domino nostro qui vivit et regnat cum Deo Patre in unitate Spiritus sancti Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen. Cod. autem Laur. a Christo omnium auctore suum vas ipsi mereamur habitationem invenire, quia apud Deum omnia possibile sunt.

SYNOPSIS.

I. Paulus, primo Saulus, Christi persecutor. II. Saulus mane rapiens, vespere dividens oscam. III. Saulus, jam Paulus, quanta pro Christo passus. IV. Paulus multa sustinuit, sed sola Dei gratia adjutus. V. Saulus nomen superbiam, Paulus humilitatis. VI. Paulus Ecclesiam Gentium Apostolus. VII. Conclusio.

I. APOSTOLUS autem Paulus, Fratres charissimi, primo Saulus, etiam inimicus Christi fuit¹. Christianos acerrime persecutus est, quando primus martyr, Stephanus sanctus, passus est. Ibi erat, quando lapidabatur; lapidantium² vestimenta servabat. Parum enim illi videbatur, si suis³ tantum manibus lapidaret. In omnium manibus erat, quorum indumenta servabat. Post hæc, occiso beatissimo⁴ Stephano, et primo coronato, quia et⁵ nomen ejus græco vocabulo coronam indicat⁶, iste inimicus acerrimus litteras accepit a Principibus sacerdotum, ut in quocumque⁷ loco inveniret istam viam sectantes, vinctos ad supplicia duceret. Ibat⁸ ergo furens Damascum⁹, anhelans cædes¹⁰, sanguinem sitiens; sed « Qui habitat in » coelis, secundum Psalmum¹¹, irridebat eum, et Dominus subsannabat eum (a). « Quid anhelas sævus, quod eris cito ipse passurus¹²? Quam minimum fuit Domino Christo salvum facere inimicum, ut una desuper voce

(a) Psal. ii, 4.

¹ Cod. cix male jungit duas phrases cum particula quia. — ² Id. bene lapidantium; Cod. autem cxvii male omnium. — ³ Cod. cxvii male tuis. — ⁴ Deest in eodem vox beatissimo. — ⁵ Id. male et quia. — ⁶ Vide Serm. cccxv, n. 2, cccxvii, n. 1, et Enarr. in Psal. lvi, n. 5, Serm. i. — ⁷ Cod. cix male quocumque. — ⁸ Cod. cxvii minus bene ivit. — ⁹ Cod. cix Damascum furens. — ¹⁰ Uterque Cod. cedens; error manifestus deprehenditur. — ¹¹ Cod. cix male qui habitat in coelis, et secundum. — ¹² Cod. cix quid anhelat sævus quod erat.